

Peccatum ae  
cum fonte primo

Peccatum quod ex peccato oritur,  
non iam peccatum tantummodo, sed  
peccatum est et pena peccati quia iusto  
iudicio omnipotens Deus cor peccantis  
obnubilat ut precedentis peccati merito  
eciam in aliis cadat,

ut qui malum sciens perpetrat, deinceps  
iuste in aliis eciam nollens cadat.

Gregorius libro XXV. moralium.

Sed  
peccatum quod ex peccato oritur,  
non iam peccatum tantummodo, sed  
peccatum est et poena peccati, quia iusto  
iudicio omnipotens Deus cor peccantis  
obnubilat, ut praecedentis peccati merito  
etiam in aliis cadat.

Quem enim liberare noluit, deserendo  
percussit. Non ergo immerito poena  
peccati dicitur, quod iusta desuper  
irrogata caecitate, ex praecedentis  
peccati ultione perpetratur. Quod  
uidelicet agitur dispositione superius  
ordinata, sed inferius iniquitate confusa,  
ut et praecedens culpa sit causa  
subsequentis, et rursus culpa  
subsequens sit poena praecedentis. Quod  
bene in infidelibus et lubricis Paulus  
quasi quoddam semen erroris aspexerat,  
cum dicebat: *Qui cum cognouissent  
Deum, non sicut Deum glorificauerunt,  
aut gratias egerunt, sed euanuerunt in  
cogitationibus suis.* Sed quid ex eius  
erroris semine pullulauit, ilico adiungit,  
dicens: *Propter quod tradidit illos Deus  
in desideria cordis eorum, in  
immunditia, ut contumeliis afficiant  
corpora sua in semetipsis.* Quia enim  
cognoscentes Deum peccatum superbiae  
intellegendo commiserunt, caecantur  
etiam ne intellegant quod committunt. Et  
qui intellegentiam suam sequi nolunt in  
peccato et causa peccati, et ipsum lumen  
intellegentiae perdunt in peccato et  
poena peccati. Prioris ergo peccati  
merito peccatorum subsequentium fouea  
tegitur,

ut qui malum sciens perpetrat, deinceps  
iuste in aliis etiam nesciens cadat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 25, 9  
(CCSL 143B, M. Adriaen ed., pp.1247-  
8, ll.18-41).